

in vitam eternitatis --- Quin etiam id quod sibi credebat, tamen per ministerium impositi Sacerdotii ETIAM CÆTERIS PRÆDICABAT: munus suum ad officium publicæ salutis extendens; nimirum verus atque Christianus Philosophus effectus Hilarius, profanarum atque miserarum etiam animarum curam gerere, easque ad Dei Opt. Max. cognitionem, & ad seriæ Pietatis exercitia deducere omnino studio allaboravit.

V.

Quintum Sacræ huius Introductionis vestigium DIVI JOHANNIS CHRYSOSTOMI demonstrat historia, clarissimèque indicat, eum pariter ac Magnum illum Basilium, omnem propè Juventutem inani attrivisse studio, & præter Andragathium Gentilem Philosophum, ipsum Libanium Sophistam (insigniter impium Rhetorem) Præceptores habuisse, imò tantoperè *infatuatam à Deo Sapienciam* excoluisse, ut Libanio ac aliis sumis istius ævi oratoribus profanis esse cœperit admirationi; Sic etenim Isidorus Pelus. (Chryf. discipulus,) in sua ad Ophelium Grammaticum